



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Die XIV. Octobris. In Festo Sancti Callisti Papae et  
Martyris**

**Paderbornae, ca. 1808**

In secundo Nocturno.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60446](#)

DIE XIV. OCTOBRIS.  
IN FESTO  
S A N C T I C A L L I S T I  
Papae et Martyris.

Duplex minus.

---

*In secundo Nocturno.*

*Lectio IV.*

Callistus Romanus praefuit Ecclesiae Antonino Heliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni Tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur. Aedificavit Basilicam sanctae Mariae trans Tiberim: et in via Appia vetus coemeterium ampliavit, in quo multi Sacerdotes et Martyres sepulti sunt: unde ab eo Callisti coemeterium appellatur.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et à seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem aeternam.

¶. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

*Lectio*

### Lectio V.

Ejusdem pietatis fuit, quod beati Calepodii Presbyteri et Martyris corpus jactatum in Tiberim conqueriri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivit. Palmatium consulari, Simplicium senatoria dignitate illustres, Felicem et Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum Baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi Privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum Christo adjunxit: pro quo idem, recens adhuc à fide suscepta, plumbatis usque ad mortem caesus occubuit.

**R.** Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

**V.** Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

### Lectio VI.

Sedit Callistus annos quinq. mensem unum dies duodecim. Ordinationibus quinque mense Decembri creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Epis-

Episcopos octo. Post longam famem,  
crebrasque verberationes praeceps jactus  
in puteum, atque ita martyrio coronatus  
sub Alexandro Imperatore: illatus est in  
coemeterium Calepodii via Aurelia, tertio  
ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris.  
Ejus postmodum corpus in Basilicam  
sanctae Mariae trans Tiberim, ab ipso  
aedificatam, delatum, sub Ara majori,  
maxima veneratione colitur.

R. Stola jucunditatis induit eum Do-  
minus: \* Et coronam pulchritudinis po-  
suit super caput ejus.

V. Cibavit illum Dominus pane vitae  
et intellectus: et aqua sapientiae saluta-  
ris potavit illum. Et coronam. Gloria  
Patri. Et coronam.

*In tertio Nocturno.*

Lectiones ut in Breviario dicta die, cum  
Oratione ibi propria.

*Ex Decr. (Urbis et Orbis) SS. D. N. Pii  
Papae VII, 2. Sept. 1808.*

---

*Cum permisso Superiorum.*

---

Paderbornae, typis et sumpt. J. W. Junfermann.